



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. I. Vtrum Consilium formaliter sit sola inquisitio rationis, vel etiam
judicium seu sententiam intellectûs inducat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

51 Probatur etiam conclusio duplici ratione, A quam locis citatis indicat S. Doctor. Prima sic potest proponi: Sicut se habet notitia principiorum ad notitiam conclusionum, ita se habet intentio finis ad electionem mediorum: Sed impossibile est posita notitia principiorum, non sequi notitiam conclusionis, quæ cum ipsis habet necessariam connexionem, & cuius veritate non stante, nequit stare veritas principiorum: Ergo etiam impossibile est stare efficacem intentionem finis, & non sequi electionem unici medij, sine quo non potest acquiri

52 Secunda ratio est: voluntas non potest (volitione saltem absoluta & efficaci) velle impossibilia, ut supra ostendimus: Atqui si absolute & efficaciter indenderet finem, & tamen nollet eligere medium quod est unicum, & sine quo finis obtineri non potest, vellet volitione absoluta & efficaci aliquid impossibile, ut patet: Ergo non potest voluntas, supposita intentione efficaci finis, rejicere medium unicum, sed ad illud eligendum necessatur.

53 Confirmatur: Si voluntas posita intentione finis, unicum quod occurrit medium repudiare valeret, posset etiam simul efficaciter velle & nolle obtinere talem finem: Sed hoc dici nequit: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: in primis enim finem illum efficaciter vellet, cum intentio non sit simplex affectus & complacentia in fine; sed volitio efficax illius. Non vellet autem illum efficaciter, quia efficax volitio finis est virtualiter illam continet. Unde Christus dicebat Ioan. 14. *Si quis diligit me (scilicet efficaciter) mandata mea servabit.* Et Matth. 19. *Si vis in vitam ingredi, serva mandata.* Item de eo qui pauperi non dat eleemosinam, quando ipsa est medium necessarium ad præceptum charitatis observandum, dicitur 1. Ioan. 3. *Quomodo caritas Dei manet in illo?*

54 Hæ rationes ostendunt, voluntatem ad electionem medij, quod intellectus iudicat esse unicum, necessitari non solum quantum ad specificationem, sed etiam quoad exercitium, pro eo saltem tempore, quod intellectus iudicat esse necessarium; ut electio exerceatur ad consecutionem finis: nam impossibile est quod intentio finis sit efficax, nisi in actu exercito inferat electionem mediorum, eo tempore quo finis debet executioni mandari: v. g. qui intendit cras flumen transire, & videt non posse nisi per pontem potest quidem volitionem talis medij suspendere usque ad tempus quo debet transire; sed cum instat hora transitus, non potest talis medij electionem non ponere.

55 Objicies contra hanc conclusionem: Si supposita efficaci intentione finis, homo ex necessitate eligeret medium, quod intellectus iudicat esse unicum, vel talis necessitas orietur ex fine, vel ex ipso medio? Neutrum dici potest: Ergo &c. Minor probatur: talis necessitas non potest peti ex fine, quia finis non movet efficacius ad eligendum medium, quam moveat ad se ipsum appetendum; cum non moveat ad amorem illius, nisi quia movet ad amorem sui: Sed finis particularis non movet voluntatem necessario ad amorem sui: Ergo nec ad electionem illius medij. Non potest etiam illa necessitas oriri ex ipso medio: Quia voluntas à nullo bono particulari & limitato necessitari potest: Sed medium illud, quamvis unicum, habet bonitatem fini-

tam & limitatam, cum nullam aliam habeat, præter bonitatem finis extrinsecè participatam, quam supponimus esse limitatam: Ergo, &c. 56

Respondeo necessitatem illam neque ex fine neque ex medio solitariè sumptis, sed ex necessaria connexionione medij cum fine ortum habere: sicut quando dicitur, *si Petrus currit, necessario movetur*, necessitas hujus illationis & consequentia, neque ex cursu, neque ex motu Petri, quæ sunt contingentia, provenit; sed ex connexionione necessaria quæ reperitur inter Antecedens & consequens, & inter motum Petri & ejus cursum. Potest etiam dici, hanc necessitatem provenire ex ipso medio, supposita efficaci intentione finis: quia licet medium, quando est unicum, non habeat omnem rationem boni simpliciter, habet tamen omnimodam utilitatem, quæ est bonitas medij, formaliter ut medium est: quare licet necessitatem omnimodam & absolutam inducere non possit, potest tamen causare necessitatem secundum quid, & hypotheticam; quæ libertati non præjudicat, ut communiter docent Theologi. Unde electio hujus medij potest esse meritoria, vel culpabilis, ut patet tum in eo qui ex efficaci intentione salutis eligit observantiam præceptorum, quæ est unicum & necessarium medium ad vitam æternam consequendam; juxta illud Christi Matth. 19. *Si vis in vitam ingredi, serva mandata.* Tum etiam in illo qui habens intentionem efficacem obtinendi sanitatem, audit à medico unicum medium ad eam consequendam esse accessum ad non suam; talis enim, eligendo illud medium, peccat mortaliter.

DISPUTATIO X.

De Consilio & Consensu.

Ad questionem 14. & 15. Divi Thomæ.

D EPLICATA natura electionis differit. S. Doctor de duplici actu, qui ad illam præquiritur, consilio scilicet, qui eam dirigit & regulat, & consensu, qui est approbatio sive complacentia de ipsorum inventione & utilitate. Pauca autem circa hos duos actus dicenda occurrunt unde utrumque hac disputatione complectemur.

ARTICVLVS I.

Verum Consilium formaliter sit sola inquisitio rationis, vel etiam iudicium seu sententiam intellectus includat?

S. I.

Quibusdam præmissis difficultas proponitur & resolvitur.

NOTANDVM primò quod sicut in syllogismo duo sunt, præmissæ scilicet & conclusio: ita in consilio, quod est quidam ratio practice discursus, & veluti quidam syllogismus prudentia, duo præcipue actus intellectus interveniunt; inquisitio scilicet mediorum, quæ

juvare possunt ad obtinendum finem, & iudicium de illorum bonitate & convenientia: primum se habet ut via, secundum ut terminus: nam per inquisitionem rationis pervenimus ad iudicium de mediis convenientibus.

Notandum secundò, quò duplex est iudicium terminans actum consultationis circa media: primum est, quò intellectus iudicat ex multis mediis propositis aliqua esse utilia, & alia inutilia: quòd iudicium sequitur consensus, respectu mediorum utilium, ut dicemus articulo sequenti: secundum est, quò ex mediis iam inventis per inquisitionem, & iudicatis utilibus, facta iterum collatione ut litatis eorum inter ipsa, iudicat intellectus unum esse utilem & convenientius, subindeque cæteris præferendum; & hoc iudicium, quòd appellatur sententia, seu deliberatio, immediatè deservit electioni. Inquirimus ergo, an consilium consistat solum in inquisitione mediorum, vel etiam includat iudicium seu sententiam, quà intellectus practicè iudicat hoc medium esse eligendum; quæ est veluti conclusio totius processus qui reperitur in consilio. Pro resolutione.

Dico, consilium humanum, seu prout reperitur in hominibus, utrumque actum includere: in Deo verò non dicere inquisitionem & consultationem de mediis, sed tantum iudicium rationis practicæ de eorum convenientia & bonitate. Ita communiter docent Thomistæ, præsertim Cajetanus & Conradus hic art. 1. contra Vazquezem, Azorium, Corneio, & alios Recentiores, existimantes consilium in sola inquisitione mediorum consistere.

Probatur prima pars ratione notabili primo innuata. Consilium est quidam rationis practicæ discursus, & veluti quidam syllogismus prudentiæ, cuius conclusio est iudicium, seu sententia; unde sicut in speculativis præmissis solum inchoativè sunt syllogismus; completæ autem per conclusionem quam inferunt, simul cum ea perfectum syllogismus efficiunt: ita in practicis inquisitio rationis solum inchoativè est consilium, completa autem per iudicium, simul cum ipso consilium perfectè & completè efficit & componit.

Confirmatur: Tam in consilio communi plurimum, quàm in particulari cuiuscumque, si multiplicis difficultatibus non pervenitur ad iudicium, seu deliberationem & sententiam, sed ipsa in alium diem vel horam differunt, communitè omnes sentiunt & dicunt consilium non esse completum: Ergo consilium, secundum communem modum concipiendi & loquendi, non solum inquisitionem & consultationem de mediis, sed etiam iudicium seu sententiam de eorum convenientia & bonitate importat.

Confirmatur amplius: Si iudicium esset omnino extra consilium, illud nullo modo reperiretur in Deo: Sed hoc dici nequid: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet: nam ut statim dicemus, in Deo non reperitur inquisitio seu consultatio de mediis: Ergo si consilium in ea solum consisteret, & iudicium seu sententiam de convenientia mediorum non importaret, nullo modo reperiretur in Deo. Minor verò probatur ex variis Scripturæ locis, in quibus Deo & Christo passim attribuitur consilium: nam Job. 12. dicitur: *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam.* Et Jerem. 32. Deus appellatur, *Magnus consilio &*

A incomprehensibilis cogitatu. Item Isaia 46. Deus dicit: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Apostolus ad Ephes. 1. asserit quòd *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Denique Isaia 9. Christus vocatur *Admirabilis consiliarius,* & cap. 11. Spiritus consilij super eum requiescere dicitur. At hæc loca debent in sensu proprio & non methaphorico accipi: cum ex hoc nullum sequatur inconveniens, ut patebit ex dicendis in probatione secundæ partis: Ergo consilium reperitur in Deo.

Probatur igitur secunda pars conclusionis ex D. Thoma 1. p. quæst. 22. artic. 1. ad 1. ubi ait:

Ipsa ratio verum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt. Et clarius hic art. 1. cum sibi objecisset in secundo argumento: *Inquirere intellectus discurrentis est, & sic Deo non convenit, cuius cognitio non est discursiva: Sed consilium Deo attribuitur, dicitur enim ad Ephes. 1. quòd operatur omnia secundum consilium voluntatis sue: Ergo consilium non est inquisitio:* Respondet,

*Quod ea quæ dicuntur de Deo, accipienda sunt absque omni defectu qui invenitur in nobis: sicut in nobis scientia est conclusio per discursum à causis in effectus: Sed scientia dicta de Deo, significat certitudinem de omnibus effectibus in prima causa, absque omni discursu. Et similiter consilium attribuitur Deo, quantum ad certitudinem scientiæ, vel iudicij, quæ in nobis provenit ex inquisitione consilij: Sed huiusmodi inquisitio in Deo locum non habet; & ideo consilium secundum hoc Deo non tribuitur. Et secundum hoc Damascenus dicit, quòd Deus non consiliatur; ignorantis enim est consiliari. Quibus verbis clarè docet, quòd sicut scientia reperitur in Deo, absque discursu; ita & consilium absque inquisitione: quia inquisitio supponit ignorantiam vel dubitationem; nemo enim prudens inquit quòd probè scit, nec querit quòd possidet: ignorantia autem & dubitatio non habent locum in Deo: Ergo neque inquisitio. In Angelis tamen, in quibus potest esse nescientia, potest etiam esse inquisitio, licet sine discursu. Unde Dionysius 7. cap. cœlestis hierarchiæ introducit Angelos quæstionem facientes ad Jesum de susceptæ pro nobis carnis opere, juxta illud Isaia. 63. *Quis est iste qui venit de Edom, in tinctis vestibus de Bosra? Iste est formosus in stola sua.* Et Psalm. 23. *Quis est iste Rex gloriæ?* Quare in Angelis consilium de supernaturalibus, quorù habent nescientiam, non solum iudicium, sed etiam inquisitionem potest includere, quia de illis dubitare possunt.*

E

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBJECTIONES primò contra primam partem conclusionis: D. Thomas hic artic. 1. ait: *Inquisitio rationis quæ est ante iudicium de eligendis, consilium vocatur.* Ergo consilium non includit iudicium, sed in sola inquisitione rationis consistit.

Respondeo Divum Thomam loqui de consilio inchoativè: nam sicut præmissæ ante conclusionem sunt syllogismus inchoativè; ita inquisitio rationis ante iudicium de eligendis, est inchoativè consilium: sicut tamen syllogismus

non censetur completus ante conclusionem, ita nec consilium ante iudicium seu deliberationem de agendis; si enim inquiritur, & ad deliberationem & resolutionem non pervenitur, nihil datur consilij. Unde Cajetanus hic art. 1. ait: *Consilium significat inquisitionem completam, id est, usque ad iudicium inclusive.*

9 Objicies secundo: Consilium & iudicium sunt actus diversarum virtutum: Ergo unum non includitur in alio. Consequentia videtur bona: nam si unus ex illis actibus in alio includeretur, scilicet iudicium in consilio, ab eadem virtute, uterque eliceretur. Antecedens verò est D. Thomæ infra quæst. 57. art. 6. & 2. 2. qu. 51. art. 1. & 3. ubi docet Eubuliam esse virtutem ad bene consiliandum, & synesim ad rectè iudicandum.

10 Respondeo distinguendo Antecedens: Consilium, & iudicium sunt actus diversarum virtutum, si loquaris de consilio inadæquatè, concedo; sic enim una pars ejus, quæ est inquisitio, est actus eubulæ, alia verò actus synesim, seu gnome: si autem loquaris de consilio adæquatè, nego. Nam sicut consilium adæquatè sumptum dicitur duos actus rationis, scilicet inquirere & iudicare; sic ad ipsum concurrunt duæ virtutes prædictæ, sed neutra producit consilium adæquatè. Nec mirum quod totus syllogismus practicus procedat à duplici virtute intellectuâ practica; cum etiam integer syllogismus speculativus procedat à duplici virtute intellectuâ speculativa, scilicet ab intelligentia quantum ad præmissas, & à scientia quantum ad conclusionem.

§. III.

Corollarium precedentis doctrine.

11 **EX** dictis inferes, consilium, ut reperitur in hominibus, esse inquisitionem & iudicium rationis practicae circa media à nobis apponenda, quando res est dubia, & momenti alicujus. In qua definitione inquisitio & iudicium est genus, quia in homine non reperitur iudicium absque prævia inquisitione. Additur *rationis practicae*, quia inquisitiones & iudicia intellectus speculativi, ut Mathematicæ consultationes & demonstrationes, consilia non sunt, ut dicit Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. Subditur *circa media*, quia ut docet S. Thomas hic art. 2. consilium non est de fine, sed solum de his quæ sunt ad finem: cum enim sit quidam discursus intellectus practicus, ut supra ostendimus, sicut discursus non est de principiis, sed de conclusionibus; ita nec consilium de fine, qui se habet ut primum principium in agibilibus, sed solum de mediis, quæ ad ejus assecutionem conducunt. Unde Aristoteles 3. Ethic. cap. 5. *Consultamus*, inquit, *non de fine, sed de his quæ ad finem tendunt: nam neque medicus an sanare, neque orator an persuadere, neque politicus an bonis legibus civitatem temperare debeat, neque ex aliis quispiam de fine consultat; sed omnes cum finem quemdam statuerint, quomodo aut per, quæ eam consequi possint deliberant.* Deinde dicitur à nobis apponenda, quia ut probatur artic. 3. consilium solum est circa ea quæ à nobis aguntur, seu quæ curæ & dominio nostro subjèta sunt. Unde Galli v. g. non habent consulere quomodo Indi vivere vel negotiari debeant. Tandem ponitur, *quando res est dubia, & momenti alicujus*, quia ut docet S. Doctor art. 4. ea

A quæ sunt certa & determinata in aliqua arte vel disciplina, sub consilio non cadunt: Vanè enim (inquit Aristoteles ubi supra) consuleret Grammaticus, quomodo formandi sunt literarum characteres, & Geometra quomodo describendum sit trigonum, quomodo circulus; hæc quippe eodem modo fiunt, & in arte determinata sunt. Sic Moyses Exodi 25. non consuluit artifices peritos, quomodo fabricandum esset tabernaculum quia jam id determinaverat Deus. Similiter etiam de rebus parvis non est consultatio: nam de illis vir prudens non est sollicitus, quia parum refert quod sic vel aliter agantur aut contingant: unde dicitur quod *de minimis non curat Prætor.* Et per hæc satis videtur exposta quæ docet D. Thomas quæst. 14.

B Solum id quod artic. 5. dicit, nempe consilium fieri modo resolutorio, indiget explanatione, quoniam à Cajetano & aliis obscurè exponitur. Sciendum est igitur, quod in rebus materialibus processum hunc resolutorium appellamus, qui procedit ab eo quod est posterius in esse ad id quod est prius; sic enim resolutio domus, g. procedit à forma domus, ad lapides, ligna & alia quæ prius fuerunt in esse, quam ipsa forma domus. Contra verò processus ille compositivus dicitur, qui ab his quæ sunt priora in esse, ad ea quæ sunt in esse posteriora, & in cognitione seu intentione priora, ascendit, ut patet in constructione domus: forma enim domus, quæ in intentione & cognitione artificis prior est, resultat ex conjunctione lapidum, lignorum, & similibus, quæ in esse & in ordine executionis priora sunt, & posteriora in ordine intentionis. Quia ergo consilium à fine, qui est posterior in esse & in executione, procedit ad media, quæ in eodem ordine priora sunt, utpote causæ ipsius finis, modo resolutorio procedere dicitur. Ubi verò est imperium, modo compositivo procedunt: quia à mediis, quæ sunt in esse & in executione priora, ascendunt ad finem, qui in cognitione & intentione prior est, & posterior in executione.

ARTICVLVS II.

An consensus sit actus realiter ab electione distinctus?

NOTA primò: nomen *Consensus* tribui posse cuicumque actui libero voluntatis, acceptantis bonum ab intellectu propositum quomodo dicitur peccatum per se consensu; & sic non est specialis actus voluntatis, nec solum circa media, sed etiam circa finem versatur: quia tamen consensus propriè videtur fieri post perfectam deliberationem & consultationem, idè peculiariter usurpatur à Theologis ad significandum quandam peculiarem voluntatis actum circa media, jam à ratione proposita, & iudicata convenientia; & de consensu sic accepto inquirimus, an sit actus ab electione realiter distinctus?

Nota secundo, quod cum consensus sequatur iudicium de convenientia & utilitate mediorum, & intellectus iudicare possit, plura media vel unum tantum ad finem obtinendum posse conlucere, voluntas per consensum, vel in plura media, vel in unum tantum ferri potest. His præmissis,

Dico: Cum voluntas per consensum fertur ad plura